



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus II. De Cohabitatione Clericorum Et Mulierum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Dicitur autem exercere artem, non qui semel tantum actum egit, sed qui iterato, sicuti hic notat Anchoranus & Francus n. 3. quod vocabula signantia exercitium artis aut officij non verificentur ex uno actu.

3 Corollarium. Qui artem histrionis aut jocularis exercet, irregularitatem incurrit, quia omnes, qui Jure Civili infames reputantur, Jure etiam Canonico infames, & ideo irregulares sunt, sicuti docui *lib. I tra. 5. p. 5. c. 4. n. 2.*

4 Veruntamen non ideo statim, quod Clericus irregularis efficitur, etiam Clericalia privilegia perdit, nisi insuper degradetur; quare hæc est specialis pœna Clericis quibuscunque inflicta, ut si per annum continuum artem joculariam publicè exercent, vel breviori tempore, si post trinam Prælati monitionem non respuerint, ipso jure depositionem, & privationem omnium Clericalium privilegiorum incurrant: opus tamen est, ad hujus pœnæ executionem, declaratione Judicis Ecclesiastici, sicuti docui *cit. tra. 5. p. 3. c. 5.*

Similis pœna privationis ac veluti degradationis ipso jure lata est in *Clement. 1. hoc tit.* adversus Clericos conjugatos, imò etiam non conjugatos, habitum tamen laicali incedentes, si lanionum, aut macelliariorum, vel tabernariorum officium publicè exercent, & teritiò nominatim moniti, ut desistant, non

obtemperaverint; opus tamen est trips distinctâ monitione, ita ut non sufficiat in hoc casu una pro trina, teste *Gl. recepta in cit. Clement. v. 3. Suar. de censuris disput. 22. l. 1. n. 16.*

Sed dubium est, an cum ejusmodi Clerico deposito, & privato, Episcopus post pœnitentiam, & emendationem dispensare possit. Affirmat Joan. And. Anchoranus, Dominicus, & Francus in fine hujus cap. Sed arbitror negandum, quia hæc esset quadam restitutio in integrum collata personæ, quæ per universales Canones privata, & abjecta est: talem autem restitutionem facere, ad principem solum pertinet, qui est Papa. Confirmatur primò: generalis regula est, quod inferior non possit dispensare, aut relaxare in rebus pœnis Ecclesiasticis, jure universali inflictis, nisi ipsi expressè concessum sit; quæ causa est, ut Episcopi non possint dispensare in suspensionibus, quæ meræ pœnæ sunt, atque irregularitatibus, præterquam, si proveniant ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum ex cœssione Tridentini *sess. 24. c. 6. de reformatione.* Vide, quæ dixi *cit. tra. 5. p. 3. c. 4. n. 2. & p. 5. c. 9. Suar. de censuris disput. 41. sect. 2.* Confirmatur secundo: restitutio ista Clerici privati fiet cum præjudicio potestatis secularis, cui in Clericum ita privatum & degradatum jus acquisitum fuit, ergo non nisi à summo Pontifice fieri debet.

TITULUS II.

DE COHABITATIONE CLERICORUM ET MULIERUM.

CAPITVLVM I.

Inhibendum.

PARAPHRASIS.

Nemo Sacerdotum faminam, de qua suspicio sceleris esse possit, apud se retine-

re debet, adeò quidem, ut nec matrem, amitam, vel sororem, cujusmodi personas conjunctas alioquin Canones permittunt, Sacerdoti liceat secum habere, si suspicio ac periculum mali subsit, quandoquidem instigante diabolo

hilo etiam cum personis ita conjunctis scelus perpetratum fuisse comperimus, & facilius cum pedissequis eorum. Ceterum si tales personae conjunctae, ope presbyteri indigeant, manere poterunt in domo disita, in qua ipsi, quae necessaria sunt, administrantur. Insuper prohibendum est, ne femina ad altare praesumat accedere, aut Sacerdoti ministrare, aut intra cancellos stare, vel sedere.

SUMMARIUM.

1. Sacerdotibus permittitur, ut cohabitent cum feminis valde conjunctis, in primo scilicet, vel secundo gradu consanguinitatis, nisi etiam cum his, vel propter has cum pedissequis sit mali suspicio.
2. Quanam sit differentia inter taliter conjunctas & extraneas?
3. Num ea, quae dicuntur de consanguineis, intelligi etiam possint de affinis in primo & secundo gradu?
4. Utrum Episcopo permittitur, ut intra domum suam habeat matrem, aut sororem? & utrum consuetum sit?
5. Permissum tamen est Clericis, superfluos suos redditus, conferre ad sustentationem consanguineorum, si hi egant.



Otandum primò: Sacri Canonones permittunt, ut cum Sacerdote habitent mulieres valde conjunctae, videlicet in primo aut secundo gradu consanguinitatis. c. cum omnibus 27. juncta Gl. dist. 81. & constat ex Niceno Concilio Can. 3. prout etiam à Syricio Papa refertur in c. feminae 31. eadem dist. Excipitur verò hic, nisi etiam cohabitatio cum femina ita conjuncta suspicionem, aut periculum mali generet, sive propter ipsammet, cum qua indicia aut incitamenta sceleris nefandi, seu incestus se prodiderunt, sive

propter famulas, aut socias, quae cum Sacerdotis matre, aut sorore, amita, vel matertera esse solent: qua ratione S. Augustinus teste Possidonio in vita ejus sororem suam secum retinere noluit, dicens, quae cum sorore meae sunt, sorores meae non sunt, uti refertur in c. Legitur 25. dist. 81.

Quæritur primò: Quae igitur differentia sit inter feminas conjunctas, seu consanguineas in primo & secundo gradu, & non ita conjunctas, aut extraneas? Resp. Cum Gl. in c. Volumus. 24. eadem dist. Ab. hic n. 2. extraneae, seu non ita conjunctae mulieres eo ipso suspectae esse solent, quia juvenes sunt; quare spectato communi Jure Canonico earum cohabitatio universim interdicta est Clericis, quamvis in quibusdam Germaniae nostrae Diocesisbus tolerentur in domo Parochi, alteriusve sacerdotis mulieres tales famulantes, si bonae famae sint: consultum tamen esset, ut haec etiam consuetudo reformaretur, atque secundum sacros Canones à quavis etiam specie, aut occasione mali Sacerdotes seu in sacris Ordinibus constituti Clerici absterentur argum. c. Cum ab omni. 10. de vita & honestate &c. At verò mulieres valde conjunctae, tametsi juvenes sint, cohabitare Sacerdoti possunt, per se loquendo, & nisi per accidens suspicio sit arg. s. penult. hoc tit.

Admonet etiam Gl. in cit. c. volumus, personas dicto modo conjunctas habitare posse cum Sacerdote, si solus habitet; sed si cum alijs Sacerdotibus: quae limitatio maximè vera est, si collegialiter vivant.

Num verò parochi v.g. unum, aut alterum Cooperatorem in domo sua alenti permittendum sit, ut sororem, vel consobrinam juvenulam, secum habeat, id ex circumstantia loci, ac personarum colligi debet.

Quæritur secundò: quae dicta sunt de consanguineis, an similiter intelligenda sint de affinis in primo & secundo gradu, quòd scilicet cum sacerdote habitare possint per se loquendo absque mali sceleris suspicione. Resp. non esse eandem rationem

tionem, quia sacri Canones mulierum cum Sacerdote cohabitationem prohibentes, consanguineas nominatim excipiunt, non item affines, quia constat majus esse foedus naturale inter consanguineos, quippe per se conjunctos, quam inter affines, qui per accidens tantum junguntur. Veruntamen si mulier in primo gradu affinitatis juncta sit, v. g. noverca, nurus, aut fratris defuncti uxor, vel etiam in secundo gradu, quando accedit reverentia, quam alter alteri debet v. g. Sacerdos uxori patris sui defuncti, videtur cohabitatione permittenda, si aliunde, sive per accidens, suspicio nulla sit, sicuti colligitur ex c. *interdixit*. 10. dist. 32. & sumi potest argumentum ex cap. 18. *Levitici*, ubi talium personarum conjunctiones prohibentur.

4. Queritur tertio. Utrum Episcopo permittum sit, ut intra domum suam habeat matrem, aut sororem. Negat *Gl. in c. legitur*. 25. dist. 81. *arg. authent. Episcopo, C. de Episcopis*. Accedit, periculum esse posse, partim propter cohabitantes cum Episcopo Clericos, partim propter ancillas, & pedissequas, quas decet habere matrem, aut sororem Episcopi. Resp. tamen cum *Abb. hic. n. 3.* Episcopo aequè, ac alijs Sacerdotibus permitti cohabitationem matris, & aliarum mulierum in primo vel secundo gradu *cir. c. interdixit*. Ad *authent. Justiniani*. Resp. eam à saeculari potestate, de materia Ecclesiastici fori prodeuntem, nullius roboris esse, sicuti docui in c. *Eclesia*. 10. de *Constitutionibus*. Ad alterum dico, rectè inde colligi, plerumque non esse consultum, ut Episcopus, vel similis saecularis Praelatus, matrem v. g. aut sororem intra domum, aut palatium suum habeat, sed in alia domo separata. Attamen universim loquendo secundum Canones damnari non potest, si intra eandem domum, sed in cubiculis, seu conclavibus à sua, & Clericorum habitatione, & convictu distinctis, matrem, vel sororem suam, cum ancillis, Episcopus aliat, quandoquidè in antiqua Ecclesia Episcopi, aliique Sacerdotes

tali modo uxores suas, tanquam forores, cubiculorum mansionibus separatas, habebant, & alebant, sicuti docui *lib. 5. tra. 10. c. 11. n. 6.* & constat ex c. *Episcopus* 6. *juncta Gl. V. sequestrato. dist. 77.*

Notandum secundò: Clericis Beneficiarijs concessum esse Ecclesiasticos suos redditus, qui ipsi superflui sunt, seu superflui sunt, conferre ad sustentationem consanguineorum, si indigeant; imò lex charitatis postulat, ut his potius, quam alijs pauperibus succurratur, c. *non facis*. 11. dist. 86. & constat ex ijs, quae docui *lib. 2. tra. 3. c. 3. n. 6.* Peccat autem Beneficiarius, si redditus superfluos ad consanguineos, aut affines suos ditandos expendat, si indigentes seu pauperes non sint, sicuti constat ex *Trident. sess. 25. c. 1. de reformatione* & docui *lib. 2. tra. 3. c. 3. n. 6.*

CAPITVLVM II.

Si quisquam.

PARAPHRASIS.

Si aliquis Sacerdotum, id est Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, de crimine fornicationis cum muliere suspectus post primam, secundam, & tertiam monitionem inveniatur confabulari aut conversari cura eadem, excommunicetur, femina autem canonice iudicetur.

SUMMARIUM.

1. Sacerdotis nomine late loquendo, omnes Clerici significantur, qui in sacris constituti sunt.
2. Non tantum conobinatus prohibetur sub poenis & censuris inferendis cum muliere Clericus, sed etiam familiaritas cum muliere.
3. Peccans taliter, mulier cum Clerico subest iurisdictioni Ecclesiastica; quamvis in praxi doctrina hac vix observetur.
4. Poena tamen mulieris taliter fornicantis non est, ut ipsa cum prole concepta in servitutem redigatur.

Notan-

1. Notandum primò: Nominè Sacerdotis largè sumpto comprehenduntur omnes Clerici, qui in sacro ordine sunt; sed stricte ac proprie Sacerdotes dicuntur, qui sacrum Christi corpus conficiunt.

2. Notandum secundò: Non tantùm concubinatus Clericis, à sacris Canonibus sub censuris & pœnis inferendis, prohibetur, sed etiam familiaritas cum muliere, adeò, ut si Clericus canonicè admonitus non desistat, & contumax appareat, etiam excommunicandus sit; quo loco advertendum, quòd in tali casu familiaritatis suspectæ Clericus non punitur ob præsumptionem fornicationis, cum accidere possit, ut de ea nec inquisitio facta, nec probationes acceptæ sint, sed tantùm de conversatione, & familiaritate notoriè scandalosâ, quæ proinde in se peccatum est; & accedente monitione, si Clericus in contumacia persistat, gravius efficitur, & eò usque crescere potest, ut beneficiorum privationem, depositionem, & excommunicationem mereatur, sicuti tit. præcedenti in c. ut Clericorum. 15. dictum fuit de Clericis concubinarijs.

3. Notandum tertio: Si mulier delinquat cum Clerico contra Ecclesiastici Ordinis decorem, subijcitur jurisdictioni Ecclesiasticæ. Ita Abb. hic. n. 4. & Gl. recepta in c. eos 10. dist. 32. Ratio est, quia delinquit contra Ecclesiam, & contra Clerum. Accedit, quod Inson in L. nulli. n. 3. C. de iudicijs, & alij apud Menochium de arbitrijs & c. casu 371. tradunt, decens esse, ut si plures simul delinquant, ab eodem Iudice puniantur: monui tamen lib. 4. tra. 9. c. 4. n. 10. doctrinam hujus notandi apud nos in praxi non observari.

4. Porro, quod aliqui cum Gl. finali hic ajunt, mulierem ob tale crimen in servitutem redigendam esse, id non rectè hic dicitur, quandoquidem talis licentia ut Ecclesia mulierem unâ cum prole, ex Clerico in sacris genitâ, in servitutem redigere possit, si mulier incestas nuptias contrahere præsumpsit, non nisi in hoc casu concessa est, sicuti docet Gl. recepta in c. quidam. 30.

dist. 82. & c. 3. causa. 15. q. 8. At verò in casu nostri Capituli mulieri, quæ cum Clerico fornicata est, aut nimiam familiaritatem habet, juxta qualitatem delicti, pœna decernenda est, & olim quidem talis fornicata in Monasterium tradi debebat. fraternitatis 7. dist. 34.

CAPITVLVM III. Clericos.

PARAPHRASIS.

Si Clerici in sacris in publico concubinato reperiantur, Episcopus non debet ipsos cogere ad jurandum, quòd concubinam delerere velint, ne diaboli instinctu in idem fornicationis peccatum relapsi, perjurij etiam peccatum incurrant, sed per sententiam suspensionis, aut interdicti adigere debet Clericos ad concubinas amovendas, ita ut nulla amplius mali suspicio subesse possit; quòd si autem ad easdem concubinas redire, vel alias asumere præsumpserint, tum in quosdam eorum excommunicationis sententiam proferat, ut alij horum exemplo perterriti, à talibus excessibus se contineant.

SUMMARIUM.

1. Non debet à peccatoribus, quorum recidiva timenda est, juramentum exigi de abstinendo imposterum.
2. Censuræ Concubinarijs Clericis imponenda, non statim summa esse debent, sed minores semper præmittende.
3. Et hinc in multitudine delinquentium possunt aliqui ad terrorem aliorum gravibus nonnunquam pœnis puniri, levioribus alij.

Notandum primò: à peccatoribus, quorum recidiva ob fragilitatem carnis timeri potest, non est exigendum juramentum de abstinendo imposterum, idque propter periculum perjurij, cujus materiam seu occasionem Superior aut Juxta ministrare non debet. c. ille. 5. causa 22. q. 5. Vide, quæ dixi lib. 5. tra. 6. c. 4. n. 8.

C

No-

² Notandum secundò : Prælatus contra Clericos Concubenarios, aliòsve delinquentes, plerumque non statim excommunicationis censuram minari debet, sed priùs sub suspensionis aut interdicti censura præcipere, eamque actualiter contumacibus inferre; postea verò, si adhuc in crimine perseverent, ad graviores pœnas vel censuras, videlicet excommunicationis & privationis seu depositionis devenire, prout docui *lib. 1. tra. 5. p. 2. c. 1. n. 6.* Dixi autem *plerumque*, quia in atrocibus aut valde perniciosis sceleribus majorem severitatem adhibere decet.

³ Notandum terciò : Si valde multi Clerici eodem delicti genere deliquerunt, tunc aliquibus eorum, qui gravius peccarunt, ordinaria Ecclesiastica pœna, v. g. excommunicationis aut depositionis, inferri potest, ita ut alij horum exemplo tectantur, qui tamen non omnino impuniti abire debent, sed mitius castigari, *juxta c. latores 4. de Clerico excommunicato*, vide, quæ dixi *lib. 2. tra. 3. c. 12. n. 7. v. quin imò.*

CAPITULUM IV.

Sicut.

PARAPHRASIS.

Clerici in sacris Ordinibus constituti, qui concubinas habent, diligenter moneri debent ab Episcopo, ut eas removeant, & iterum non recipiant; sin autem parere contempserint, à beneficijs Ecclesiasticis usque ad satisfactionem congruam sunt suspendendi; denique, si adhuc eas retinere præsumperint, ab iisdem beneficijs in perpetuum removendi. Vide, quæ dicta sunt *in c. ut Clericorum. 13. Tit. præcedente.*

Notandum. Crescente contumaciâ crescere debet etiam pœna. Ita *Gl. finalis hic. & habetur in c. ult. in fine, ut livo non contestat. & L. relegati 4. ff. de pœnis*, ubi dicitur, quòd contumacia cumulat pœnam.

CAPITULUM V.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Presbyter ab Archiepiscopo suo, eò quòd concubinam haberet, ab officio suspensus fuit, de hoc scribit Alex. tertius hîc. Si ab ipso appellatum sit, atque ad Sedem Apostolicam venire ipsum contigerit, quòd pertinaciam & audaciam ejus, prout justum fuerit, punire velit; sin verò non accesserit, tunc suspensionis censuram tamdiu ab eo servari mandet Episcopus, donec concubinam dimiserit, & castè atque decenter vixerit: porrò subjungit Papa, si contingat, ut Presbyter ille litteras Apostolicas præsentet, quæ facti seriem non contineant, eas ipsi prodessè non debere.

Notandum. Litteræ de absolutione testantes nihil profunt appellanti, nisi facti species in illis exprimat.

CAPITULUM VI.

Si autem.

PARAPHRASIS.

Scribit hîc Alex. tertius ad Londonensem Episcopum, si Clerici ejus jurisdictioni subjecti, sive in sacris Ordinibus, sive in minoribus constituti, fornicarias detineant, atque post alteram, vel tertiam monitionem, se non correxerint, ita ut aliam monitionem admittunt non videantur, tum eos Ecclesijs, vel portionibus Ecclesiarum proventibus privet, atque ab officio suspendat.

CAPITULUM VII.

Vestra.

PARAPHRASIS.

Consultus fuit Lucius tertius propter Clericos concubenarios, num eorum missas fidelibus audire liceat, quandoquidem de ea re in antiquioribus Canonibus di-

versâ

verba statuta esse videntur, nam in 6. Nullus s. c. prater. 6. dist. 32. prohibetur, ne quisquam Sacerdotis Concubinarij missam audiat; alibi verò videlicet causa 15. q. ult. c. ultimo dicitur, quòd, quantumcunque pollutus sit Sacerdos, divina Sacramenta polluere non possit, quæ cunctarum cogitationum purgatoria sunt, & ideo à quolibet sacerdote mysteria sumenda esse, quia omnia in Christi fide purgantur. Ad hanc dubitationem responderet Papa, aliud esse crimen concubinatûs notorium, & aliud occultum. Notorium definitur, de quo Clericus canonicè condemnatus, aut quod ipsemet non dissimulet. Occultum verò, quod ab Ecclesia toleratur, de priorè casu intelligi debet cap. nullus, & cap. prater: quòd videlicet à Sacerdotum, in notorio concubinato jacentium, missis abstinendum sit, ut ea ratione ceteri à peccandi licentia retrahantur. Et ipsi, qui peccaverunt, ad emendationem perduantur. Verùm mysteria seu sacramenta ejusmodi Sacerdotum fornicariorum nequaquam, tanquam immunda sint, aut minoris virtutis, respici debent, quam ob rem indubitatum est, quòd talium concubinariorum missæ, aliæque divina officia licetè audiantur, & sacramenta suscipiantur, quamdiu ipsi ab Ecclesia tolerantur, & crimen operis evidentiam non habet.

SUMMARIUM.

1. Prohibitum quidem fuerat per antiquos Canones missam audire concubinarij Sacerdotis, si de crimine publice constaret, non tamen nihil proderant talia sacrificia his, pro quibus offerebantur; hæc tamen prohibitio nihil hodie operatur.
2. Duplex est Notorium Facti, & Juris; & quamvis facti notorium, per negationem, dubium non reddatur, negari tamen potest, si de ipso notorio

dubitetur; & hinc etiam circumstantia facti notoria esse debent, ut ne ex illis sumatur argumentum contra facti notorietatem.

3. Triplex autem est notorium facti; facti scilicet permanentis; facti transeuntis; & facti interpolati.
4. Opponitur autem notorio facti occultum, quo modo occultum dicitur delictum, quod à nemine scitur; quod communicatur sub secreto, cum promissione (tacitâ vel expressâ) non manifestandi alteri; quod uni soli tantum revelatum est, neque indicijs ostendi potest.
5. Si tamen tale crimen per se occultum, in futurum sit graviter perniciosum, aut semiplene saltem probari possit, publice quidem notorium illud non est, denunciari tamen potest, & penes iudicem aut virum prudentem erit, arbitrari ex varijs circumstantijs, utrum futurum tale notorium publice sit.
6. Notorium Juris dicitur, cuius est in iudicio vel spontanea confessio, vel legitima probatio, vel quod per sententiam definitivam decisum fuit, vel juxta probabilem sententiam, quod per interlocutoriam decisum fuit, si in rem judicatam sententia talis transiit.

Notandum primò: Tamen secundum antiquos Canones prohibitum fuerit fidelibus, ne concubinarij Sacerdotis, si crimen ejus notorium esset, Missam audirent: tamen ea prohibitio facta non erat propterea, quòd sacrificium, & sacramenta ab indigno ministro administrata sumentibus non profint, id enim falsum est, sicuti docui lib. 5. tra. 1. c. 5. n. 7. & tra. 5. c. 1. n. 12. nam alioquin etiam à Sacerdotibus, quos in occulto aliquis scit esse concubinarjos vel peccatores, abstinere deberet: sed illud de vitando concubinario notorio constitutum erat ad disciplinam Ecclesiasticam conservandam, & vitij concubina-

cubinatus detestationem indicandam. At verò hodierno jure propter Concilij Constantiensis Extravagantem, quæ incipit *Ad evitanda*: fideles non tenentur à Sacerdote concubinario abstinere se in divinis, priusquam tanquam vitandus denuntiandus sit, sicuti docui *lib. 5. tract. 5. c. 5. n. 11. S. his addendum.*

2 Notandum secundo: Duplex est notorium, Facti & Juris. Notorium facti est, quod ita populo seu hominum multitudi- ni se exhibet, ut negari aut celari non possit, sicuti videre est apud *Menoch. in arbit. casu. 166. Far. in praxi. con. 1105. n. 3. Clarum in pract. S. finali. q. 2. Syl. v. notorium. q. 1.* quam ob rem licet DD. in *L. 3. C. quibus ad libertatem &c.* regulam tradant, quòd negatione res dubia redditur, excipi tamen debet, quòd factum notorium per negationem dubium non reddatur, quandoquidem adversùs notorium negatio admittenda non est. *arg. c. Super eo 4. de testibus cogendis.* Et docet *Abb. inc. sequente. n. 4. Mascardus n. 5.* idque verisimilium, & ex ipsis terminis notum est, si publicè constet factum esse notorium; sed quia multa notoria videntur, quæ non sunt, ideò reus, qui dicitur v. g. notorius concubinarius, hoc ipsum negare potest, videlicet notorium esse, ac proinde Judex ordinariè loquendo, priusquam contra reum tanquam notorium criminofum procedat, ipso citato, declarare debet crimen notorium esse, & super ea re testium informationes accipere, & audire reum, si negare, aut ostendere velit notorium non esse crimen, sicuti bene declarat *Clarus n. 5. Mascardus n. 10.* Quòd si autem Judici judicialiter cognoscenti constet, vel ab eo juridicè declaratum sit, crimen notorium esse, tunc absque alia probatione, aut processu ad executionem & punitionem procedere potest *juxta cit. c. super eo & c. sequens.* quandoquidem inquisitio ac probationes circa rem dubiam institui solent, non circa notoriam. *arg. Clement. pastoralis juncta Gl. de sententia & re judicata.*

Præterea considerandum est, ut delictum hominis notorium censetur, factis non esse, quòd de facto secundum se constet in publico, nisi etiam notoria sint qualitates, & circumstantiæ, ita ut ex ijs nulla excusatio culpæ competere possit, sicuti monet *idem Clarus n. 3. Mascardus n. 12. Tuscus v. notorium. con. 111.* afferentes exemplum de eo, qui hominem in populi conspectu occidit, ita ut factum negari non possit, sed fortasse id egit ob necessariam sui defensionem, aut quia mentis inopserat, & ideo exculationem præterendere potest, ut vel nullo modo, vel minùs deliquerit.

Porro notorium facti triplex est, ut videre licet apud *Abb. hic n. 15. Syl. q. 2.* Unum est facti permanentis, quod continuè se exhibet hominum notitiæ v. g. palatium in foro. Alterum est facti transeuntis, ut vox v. g. præconis. *aut. qui semel. C. quomodo aut quando.* ubi *Gl. V. paucis. & alij* monent, discrimen esse inter edictum in publico foro continuè quibusdam diebus propositum, & præconis vocem, quòd illud tanquam notorium facti permanentis probatione non ita indigeat, sicuti notorium facti transeuntis, cum illud notorium jam non sit, sed fuerit, & ideo de eo testes adduci debeant, prout docet *Mascardus. con. 1107. n. 16. & Menochium lib. 1. de presumptionibus. q. 3.* & quòd notorium facti permanentis admittitur etiam contra rem judicatam, & omnem præsumptionem, quæ sit Juris & de Jure, quia probatio seu ostensio per evidentiam facti nunquam exclusiva censetur, secus autem est in notorio facti transeuntis. Tertium est notorium facti interpolati, quomodo aliquis dicitur notorius usurarius, non quia continuè cum usura mutuet, sed quoties ab eo petitur; & ad hoc notorium, quod veluti medio modo se habet, inter notorium facti permanentis, & facti transeuntis, aliqualem probationem requirit, sed non tantam, quanta ad notorium facti transeuntis, tradit *Gl. in d. Cum in Diocesi. 15. v. manifestus. de usuris. Abb. hic. n. 19.* Licet notorium facti

facti præsertim permanentis probari non debeat, cum se omnium notitia exhibeat, ita ut in dubium, aut negationem venire non possit, tamen allegari debet à parte secundum *Gl. receptam in Clement. appellanti. §. v. alias. de appellationibus.* Et videri potest *Fufcus con. 108. Menoch. cit. q. 67. n. 5.* nam Judex ea, quæ in factu, quamvis notorio consistunt, ex officio non supplet, nisi ea ex actis resultent, v. g. si nota sit, ut Judici, contumacia rei absentis, quia eum peremptoriè citaverat, prout explicat *Tufcus cit. loco. n. 2. Mascardus con. 1208. n. 5. & Georgius Eberhardus volum. 2. consil. 39. n. 35.* ait, quod notorium saltem allegari debet, si resultet ex factu hominis. Secus, si ex factu Juris, juxta doctrinam *Innocent. inc. Rainatus. in fine de testamento.*

4 Notorio facti opponitur Occultum. Dicitur autem crimen (de hoc enim loquimur) varijs modis, ac veluti gradibus occultum. Primum, quod à nemine alio scitur; cui æquiparari debet, quod scitur ex sola Sacramentali confessione, quia perinde est, ac si non sciat, in ordine ad revelationem, seu aliorum notitiam. Secundò, quod scitur ab aliquo per modum secreti naturalis, cum promissione expressa aut tacita non revelandi, talis enim promissio obligat, nisi opus sit, ut reveletur ad averendum communitatis, vel privatæ personæ, vel ipsius revelantis grave, & injustè inferendum damnum, sicuti docui *lib. 3. tract. 3. p. 2. §. 5. n. 2.* cujus occulti seu secreti species quædam est, si aliquis consilij capiendi causâ commissum v. g. crimen amico, aut alteri viro prudenti significavit, cujus tacendi valde gravis & stricta est obligatio, ita ut non nisi ob gravissimum communitatis malum ordinariè loquendo revelare concessum sit, sicuti testatur *Suar. tom. 4. de Religione. lib. 6. de Professione &c. c. 10. n. 29.* quia, nisi ita dicamus, miseris & afflictis hominibus maximum remedium salutis suæ cum magno etiam ipsius reipublicæ detrimento adimi-

tur, si viro prudenti arcana sua consilij capiendi causa sincerè & sine nocendi proposito, tutò credere non possint. Tertio, quod uni soli extrà secreti obligationem cognitum est; & hoc si indicijs ostendi non possit, ita ut denunciatori fides habeatur, plerumque censeri debet simpliciter occultum, ita ut revelare, aut denunciare Superiori non liceat, quandoquidem talis denuntiatio ad nihil aliud ordinata esset, quàm ad denigrandam famam proximi, sicuti ex communi docet *Navar. c. inter verba. causa. 11. q. 3. con. 6. n. 379.* Dixi autem plerumque: excipi enim debet, quod crimen ita occultum, si in futurum perniciosum sit, denunciari quandoquæ possit Præfato, maximè in Religionibus, non ut Judici ad puniendum, sed ut patri ad emendandum, malumque, quatenus poterit, impediendum, dummodo eâ fide dignus censeatur denuntians, ut ipsi, rei notitiam habere se affirmanti, credatur, prout docet *Suar. cit. loco. n. 23. Nav. c. 18. manual. n. 60.* Quarto, quod alicui ita cognitum est, ut probari possit, seu per unum tantum alium testem, sive alijs indicijs, ita, ut sit semiplena probatio. Imò verò accidit, ut cum uno alio teste crimen fiat sufficienter probabile, si agatur non judicialiter ad vindictam, sed canonicè ad emendationem, aut mali evitacionem, nam in tali casu ipsemet denunciator unà cum altero in testem produci potest contra reum crimen negantem, prout docet *Navarrus, cit. con. 6. n. 381. & sumitur ex c. 18. Matth. v. 15. Si peccaverit in te frater tuus &c. adhibe adhuc unum &c. & ita interpretatur Gl. communiter recepta, in c. in omni 4. de testib.* Quinto modo dicitur occultum, quod pluribus, v. g. 3. 4. aut 5. notorum quidem est, ita ut coram Judice probari possit, licet publicè notorium non sit, prout etiam dixi *Lib. 3. tra. 3. p. 2. c. 4. v. 2.* His itaque omnibus opponitur, quod est publicè notorium facti, sive sciatur à majore parte communitatis, aut populi, 10. minimum personas habentis, sive non à

in majore parte, tamen à tot personis communis, ut moraliter loquendo impossibile sit celari, aut occultari, quò minus paulatim deveniat ad aliorum plurium notitiam, sicuti explicavi lib. 3. de Inst. tra 3. p. 2. c. 3. n. 8. Et hinc tradit Abb. hic n. 16. quòd Judex, seu vir prudens, ex varijs circumstantijs, & veritate actus arbitrari debet, num factum g. crimen notorium sit, necne. Hæc de notorio facti. Nunc venio ad notorium juris, seu quod in Judicio notorium est: id verò triplex est, si ve ex triplici capite oritur notorium juris. Primò: ex spontanea confessione facta in Judicio, uti habetur in hoc c. juncta Gl. v. non diffidetur. c. ult. eod. tit. c. cum olim. 24. de verborum significatione. Verumtamen, priusquam sententia lata est, opponi potest contra confessionem ostendendo errorem, metum, vel similem causam, quæ debilitat, aut dubiam confessionem reddit juxta L. error 7. C. de juris & facti ignorantia, & docet Abb. in cit. c. Cum olim n. 3. Gl. in e. ex parte 23. V. si verò dubia. de verborum signific. Abb. ibid. n. 7. Secundò ex probationibus & actis in Judicio, nam quæ in Judicio acta v. g. à notario coram Judice in protocollo relatæ; item, quæ coram Judice legitime probata sunt, notorium juris inducunt, cit. c. Cum olim & docent ibi DD. communiter, Masc. con. 1106. Sic v. g. instrumentum in Judicio productum, si authenticum sit, notorium inducit, & probationem probatam efficit. L. ult. C. de probationibus. Testes quoque legitime examinatos, ac deponentes inducere notorium, significatur in cit. L. ult. Explicandum tamen est, quòd probationes notorium inducant, posteaquam in causa conclusum, seu probationibus, & exceptionibus in utramque partem renunciatum fuit, uti ex communi tradit Abb. in cit. c. 3. Masc. con. 1106. n. 22. Tertiò per sententiam definitivam seu condemnationem notorium induci, constat ex hoc c. & L. ult. cit. Imò etiam per interlocutoriam sententiam, si cum

causæ cognitione lata sit, notorium indici testatur Masc. n. 31. opus tamen est; ut sententia transierit in rem judicatam, nam tunc indubitata, finita; nullaque amplius discussione indigens censetur.

CAPITULUM VIII.

Tua.

PARAPHRASIS.

Exonensis Episcopus quæsierat ex Innocent. III. Si Clerici, qui publice concubinas habere dicuntur, citati, & examinati, cum nullus adsit accusator, negent se concubinos esse, an credendum sit bonorum virorum, inter quos habitant, testimonijs. Ad id respondet Papa, si crimen eorum ita publicum sit, ut meritis censeri debeat notorium, tunc nec testem nec accusatorem necessarium esse, propterea quòd nullâ tergiversatione celati possit; sin autem publicum sit, non ex facti evidentia, sed ex fama, tunc testimonia illorum non sufficiunt ad condemnationem, cum non testimonijs sed testibus credendum, & ita judicandum sit. Cæterum si de Clericis talis suspicio orta fuerit, ex qua scandalum in populo oriatur, tamen adversus eos nullus accusator compareat, tamen Canonica eis indicenda est purgatio, quam si præstare noluerint, vel in ea præstanda defecerint, tum eos canonicè punire oportet.

SUMMARIUM.

1. Crimen nonnunquam publicum dicitur, si quis de eo est infamatus.
2. De crimine fornicationis, aut adulterij, ex conjecturis evidentibus, notorietas nonnunquam haberi potest.
3. Ita, ut si ante tali evidentia facti permanentis, condemnari possit de crimine tali aliquis, quamvis alia probationes non habeantur.
4. Ex dictis tamen populi v. g. extrajudiciali

dicialibus non tam notorum crimen, quam fama oritur contra aliquem, qua tamen non sufficit ad condemnandum.

5. Subindo tamen indicenda purgatio Canonica, stante tali ex fama presumptione.

1. Notandum primò: crimen publicum interdum accipitur pro eo, de quo quis publicè infamatus est, & tunc minus est, quàm notorium, nam notorium dicitur, quod ex evidentia facti publicè notum est, ita, ut nulla tergiversatione celari possit.

2. Notandum secundò, licet crimen fornicationis aut adulterij quadam ratione occultum censeretur possit, tamen ex propinquis, & vehementibus indicijs ac conjecturis ita notorium fieri potest evidentia rei, ut nulla excusatione celari queat. Consentiant ea, quæ docui in c. præterea 27. de testib. & c. litteris 12. de presumptionibus. & videri potest Gl. hic v. ex evidentia.

3. Notandum tertio, si crimen notorium sit, evidentia facti permanentis, tum nullo existente accusatore aut teste, aliave probatione accepta, de crimine reus condemnari potest. Consentit c. super eo 3. de testibus cogendis. Ubi dicitur, si factum sit notorium, non eget testium testimonijs declarari, cum talia probationem, vel ordinem judicarium non requirant. Nota tamen, quod dixi, probationem criminis necessariam non esse: si enim reus negat, crimen notorium esse, tum, nisi ejus negatio manifestè sit frivola, & irrisoria, testes producendi sunt, qui de notorio testentur, sicuti declaravi c. precedenti vtr. 2.

4. Notandum quartò, testimonia seu dicta extrajudicialia in populo, ex quibus, si crimen notorium non sit, duntaxat fama oritur, non sufficiunt ad condemnandum reum, sed ex ejusmodi testimonijs seu dictis in publico, & uno verbo, ex fama moveri potest Judex, ut de crimine inquiret; & multò magis, ut accusatorem etiam

adversus Clericum admittat, ad querelam & testes producendos, qui de ipso etiam crimine commissio testentur, & sic intelligi debet, quod ind. 3. §. item Divus. ff. de testibus dicitur, testibus, non testimonijs credendum esse, id est, non voci vagæ, seu abstractæ in populo, sed ipsis testibus productis, & legitime examinatis ac deponentibus in judicio.

Notandum quintò, si suspicio vel præsumptio criminis sit adversus Clericum, juncta cum populi scandalo, cum tamen crimen sufficienter non probetur, indicenda est suspecto purgatio Canonica. Ita Gl. finalis hic & sumitur ex c. presbyter. 5. juncta Gl. v. Insjurandum causa 2. q. 5.

CAPITULUM IX.

A Nobis.

PARAPHRASIS.

Episcopus tolerare non debet, ut mulieres cum Clericis habitent, ijs personis exceptis, in quibus naturale fœdus nihil sævi criminis suspicari permittit.

Notandum. Inter personas valde conjunctas non debet esse suspicio de incestuosa carnis copula, quippe, à qua natura ipsa abhorret. De hoc dictum in c. Cum in juventute. 15. not. 2. de presumptionib. Intelligitur verò id ordinariè, & per se loquendo; interdum enim tales circumstantiæ, & indicia adesse possunt, ut suspicioni, aut præsumptioni locus sit, juxta c. 1. hoc tit.

CAPITULUM Vltimum.

Qualitum.

PARAPHRASIS.

De Clericis in fornicationis peccato persistentibus dubitatum fuit, utrum divini eorum officijs fideles interesse debeant, necne. Ad hoc Gregorius IX. ita respondet, tamen si Clericus quilibet consistens in mortali peccato suspensus sit quoad se ipsum, non tamen propterea sit delectus

deles cum in divinis vitare debent, nam in ordine ad alios suspensus non est in tali casu, nisi peccatum ejus notorium sit per sententiam Judicis, aut per confessionem judicialem, vel per evidentiam facti, quod nulla tergiversatione celari potest.

SUMMARIUM.

1. *Existent in peccato mortali quodammodo est suspensus.*
2. *Per antiquos Canones prohibitum fuit fidelibus, divinis officijs interesse notorij Concubinarij.*
3. *Quod quidem hodie prohibitum non est, possunt tamen ab eorum divinis abesse, si velint, fideles.*

Notandum primò, existens in peccato mortali quodammodo est suspensus, quia licitum ipsi non est in tali statu Missam celebrare, aut Sacramentum aliquod administrare. Verùm hæc suspensio non est Ecclesiastica censura, ob cujus violationem Clericus ille irregularitatem incurrat, & quæ Ecclesiastici Prælati relaxatione aut absolutione indigeat, sed ea suspensio per penitentiam, aut confessionem Sacramentalem tollitur, qua de re dixi lib. 5. tra. 1. c. 5. n. 10. in fine, & tra. 4. c. 6. n. 5.

Notandum secundò, secundum antiquos Canones prohibitum fuit fidelibus, ne notorij concubinarij aut fornicarij Clerici

divinis officijs interessent, sicuti supra dixi in c. vestra hoc tit. Censebatur autem crimen notorium ex triplici capite. Primò, si Clericus per sententiam à Judice condemnatus fuit. Secundò, si in judicio crimen sponte confessus. Tertio, si crimen per evidentiam rei ita publicè cognitum, ut nulla tergiversatione celari aut negari posset.

Quæres, cur omisus sit quartus modus, si crimen in judicio legitime probatum sit, maxime postquam conclusum in causa. Resp. idè omisum fuisse, quia plerumque populus scire non potest, num probationes fuerint plene convincentes, idè ne iniurijs atque infamiae via pateat, Judicis sententia expectari debet. Verùm si populo factis constet, Clericum legitime convictum esse, ita ut omnis dubitatio exclusa sit, tunc idem de hoc notorio orto ex probationibus legitimis judicari debet, quod de notorio ex confessione, judiciali, cum hæc duæ convictiones, videlicet probatio legitima, & otis confessio, in judicio æquiparentur.

Id moneo, tametsi hodierno Jure fideles non teneantur abstinere à notorij concubinarijs in sacris officijs, propter Extravagantem, ad evitanda, possunt tamen abstinere, & nolle ad ipsorum Missas venire, quia per Extravagantem Constantiensem, nullus favor ipsis delinquentibus factus est, & idè fideles possunt se conformare Juri- bus antiquis, quippe quæ nupiam revocata legimus.

TITULUS III. DE CLERICIS CONIUGATIS.

CAPITULUM I.

Si qui.

PARAPHRASIS.

Clerici in sacro Ordine non constituti, si matrimonium contraxerint, per Ecclesiasticam censuram compelli debent ad beneficia Ecclesiastica relinquenda; sin au-

tem Clerici subdiaconi, seu in sacro Ordine constituti, uxores duxerint, ad easdem dimittendas, & de commissio scelere penitentiam agendam per suspensionis & excommunicationis sententiam compellantur.

SUMMARIUM.

1. *Clericus beneficiatus, si matrimonium contraxerit, nondum sacro Ordine ini-*